

vel etiam superans. *Crura* habet octo, quatuor juncturis: anteriora longiora, posteriora breviora: *Oculos* haud longe distantes, cylindraceos, haud longos, quos erigit et recondit, coloris pallide flavescentis, pupilla hyalina. *Brachium dextrum* ipsi maximum, interius multis tuberculis acuminatis praeditum, ut et forceps: sinistrum parvum. Color *testae* superius olivaceus, flavo in extremitate intermixto. *Corpus* interius pallide flavescit. Omnia crura et brachia castanei sunt coloris, forcipes etiam superius, caetera pallide flavescentia una cum tenaculis. Crura omnia inferius vestita sunt copiosis pilis longiusculis obscure castanei coloris. Carne sunt bona.

G V A N H V M I, Cancer terrestris: corpus illi rotundum, sed paulum compressum, magnitudine Auriaci mali.

Pedes habet octo, quinque digitos longos, quatuor internodiis: *crura* longis pilis vestita: os magnum et ad latera oris utrumque latitudine unius digiti hirsutum, ut et corpus: *Brachia* duo, dextrum magnum, sinistrum parvum, magnum longum octo di-

gitos, latum plus duobus; parvum vix quartam partem illius aequat.

Oculi bini, quos instar parvae pilae erigit, et iterum in longa cavitate abscondit: circa os quasi duo brachiola, quae recondere potest, et iterum depromere, et usque ad oculos deducere.

Celerrime currit, et quidem transversim, ita ut oculos ad latus convertat et brachium majus elevatum gestet. Maximo numero in silvis paludosis oberrant. Carnem habet bonam.

A R A T V et A R A T V P I N I M A. Cancer terrestris, quadratae figurae, *corpo* haud magno, *testa* multipli- ci colore picta, brunno, caeruleo, albo, rubro punctatim varie intermixtis.

Oculi prominentes longe distantes, nigri, in angulis rostri positi.

Crura octo, quatuor internodiis, compressa, rufa, ac per totum maculis purpureis, nigris ac albis distincta. *Chelae* duae non ita magna, aequales, rufae, in extremitate ex albo flavescentes. In ventre etiam flavescit. Crura raris pilis nigris vestiuntur.

CAPVT IV.

De Maracoani, Potiquiquiya, et Tamaru Guacu.

MARACOANI, cancer parvus, in locis ambulans, quae refluxu maris sicca evadunt, alio enim tempore e latibulo suo non prodit: *corpo* est fere quadrato, digitum longo et lato, anterius tamen paulo latior: *Oculi* prope sibi invicem appositi, longi plus semidigitum, tenues instar aciculae crassioris, quos erigere et apte in rima recondere potest.

Os habet amplum et majus quam caeteri cancri: *crura* octo, quatuor internodiis. *Brachium dextrum* illi maximum, tres digitos longitudine superans, satis crassum, et se totum post illud potest abscondere: forceps autem brachii latior, haud cras-

sus, referens forcipem fartorum, extuberantiis haud acutis loco dentium praeditus; superficies brachii etiam parva tubercula habet: *brachium* sinistrum minimum, minus uno e pedibus, forcipula minima instar scorpionis.

Crura raros habent pilos fuscos. Coloris est in testa fulvi, ut et in pedibus et minore forcipe, atque in inferiori corpore: extremitate pedum magis rufescunt. *Brachium dextrum* e fulvo obscure rufescit. Est edulis.

P O T I Q V I Q V I Y A Brasiliensibus. Locusta marina, Belgis Zeekeest. Longitudo corporis a fronte ad extortum